

ANIMANTIA APOCALYPTICA

CEV EMBLEMATA

MINISTRORVM EVANGELII GENVINORVM

IN SCHOLIS ET ECCLESIIIS

SISTIT

MEMORIAM SAECVLAREM

GYMNASII HENNEBERGICI

PER DVCENTOS ANNOS FELICITER CONSERVATI

ORATIONIBVS QVIBVS DAM CELEBRANDAM

DIEBVS XIV. XV. XVI. APRIL.

MDCCLXXVII.

HOR. IX. MATVT. IN AVDITORIO PRIMARIO

SVB DIRECTORIO

SEKENISSIMI ATQVE CLEMENTISSIMI DOMINI

DOMINI

FRIDERICI AVGVSTI

ELECTORIS SAXONIAE ETC.

INDICIT

ET VT

PATRONI ET FAVTORES LITERARVM

PRAESENTIA SVA FAVOREM IN GYMNASIVM NOSTRV M TESTENTVR

DECENTER ROGAT

M. IOHANNES GOTTGETREV MÜLLER

ASSESSOR, CONSIST, SVPERINTENDENS ET EPHORVS GTMNASII.

SCHLEVSINGAE

APVD MÜLLER ET BRÜCKNER, GYM N. TYP.



ANIMANTIA APOCALYPTICA

DE UNIVERSITATE

UNIVERSITATIS EVANGELII GYMNASII

IN SCHOLA ET SOCIETATE

MDCCCLXX

MEMORIAM SARONIAE

GYMNASII HAMBURGICIS

PER DIGNISSIMOS VIROS RECTORIS ET CONVENTUS

UNIVERSITATIS EVANGELII GYMNASII

DIEBUS XI ET XII APRILIS

MDCCCLXX

HONORABILITATI IN AUSTRIACO IMPERIO

SUB DIRECTORIO

REVERENDISSIMO PATRI ET DOMINO

DOMINI

FRIDERICI AUGUSTI

RECTORIS GYMNASII

INDICIT

MDCCCLXX

PATRONI ET PATRONAE

UNIVERSITATIS EVANGELII GYMNASII

MDCCCLXX

M. JOHANNIS GOTTFRIEDI

ALIIQUE SOCIETATIS

MDCCCLXX

MDCCCLXX





Apocal. IV. 6. 7. 8.

Και ἐν μεσῶ ——— κυκλοθεν.

I.



Angusti programmatiss limites non permittunt varias huius oraculi interpretationes recensere, discutere, et diiudicare. Comprehenduntur illae quasi in compendio apud Calouium in Bibliis illustratis N. T. pag. 1771. seqq. Brevissime autem eas indicatas regimus in Friedr. Theol. exegetic. s. obseruationibus biblicis Tom. II. pag. 358. Addam Iacobi Thomasi dissertationem historicam cui titulus: Insignia quatuor Euangelistarum.

II.

Pro ratione scopi declaro me assentire illis qui statuunt apocalyptica haec animantia esse emblemata genuinorum euangelii ministrorum in scholis aequae ac in ecclesiis, ab initio euangelii praedicati et ad finem vsque saeculi praedicandi omnibus gentibus in omnibus terrae regionibus. Affero proinde: genuini euangelii ministri non tantum in ecclesiis speciatim sic dictis, sed etiam in scholis, gymnasiis et academiis repraesentantur symbolice sub animantibus apocalypticis. Et hoc est quod vberius declarabo.

III.

Euangelium denotat doctrinam de amore Dei erga genus humanum in Messia. Ministri euangelii sunt qui vocantur ex hominibus, vt publice tradant hanc doctrinam. Siquidem autem quidam ex his ministris sunt spurii, quidam autem genuini, spurios mittam et de genuinis agam.

IV.

Deprehendimus in genuinis euangelii ministris dona omnibus communia, et dona huic vel illi speciatim propria in sensu eminentiore, Quare haec animantia, sistuntur nobis generatim ceu animata, oculata, alata. Sistuntur speciatim sub forma LEONIS, BOVIS, FACIEI HVMANAE, AQVILAE.

(2)

V.

V.

Dantur dona communia. Huc pertinet

- I. Vita. Quot fuerunt, sunt, aut futuri sunt ministri euangelii genuini, praediti sunt vita spirituali, s. viribus Spiritus sancti, quarum virium ope exequantur non tantum quae omnibus regenitis sunt communia, sed etiam quae ipsis competunt quatenus sunt ministri euangelii. Pauli essatum Galat. II. 20. et 2 Cor. II. 5. 6. valet de omnibus ita vt exterminandi sint ex coetu ministrorum genuinorum omnes qui carent hac vita spirituali. Apoc. III. 1.
- II. Animantia haec sunt oculata ante et retro. Oculi sunt emblemata mentis prouidae seu attentionis exactae. Gerbard in Harmonia quatuor Euangelistarum Tom. II. p. 792. scribit: *oculi non solum temperantiam somni, sed etiam omnimodam attentionem denotant.* Picinellus in Mundo Symbolico Tom. I. lib. 3. pag. 243. *Oculi sunt exploratores viarum. Disce hinc nihil unquam praeuio consilio ac prudentia ceu gemino humanae mentis oculo esse aggrediendum.* Vnde Salomo Prouerb. IV. 28. *Palpebrae tuae praecedant gressus tuos.* Sic praecelere depinguntur euangelii ministri genuini. Attendunt enim omnia quae conducunt aut nocent ecclesiae. Attendunt femetipsos. Attendunt doctrinam veram vt conferuetur. Attendunt ecclesiae membra ne aberrant a veritatis et pietatis tramite. Attendunt technas et stratagemata Diaboli et mundi, an incedant hi inimici ceu leones rugientes, an ceu serpentes sinuosi. Calouius l. c. *Plena sunt oculis ante et retro non tantum ob intelligentiam sed etiam quia attendunt toti ecclesiae Aet. XX. 18. et vndiqueque vigilat* I Petr. V. 8. 9. *Langius in gloria Christi et Christianismi Apocal. prophet. pag. 64. oculorum multitudo figuram praebet illuminationis, prudentiae et vigilantiae in munere.*
- III. Animantia haec sunt alata. Alae sunt emblemata promptitudinis et alacritatis. Picinellus Tom. I. lib. 4. num. 658: *operationes nunquam non strenuas alae repraesentant.* Haud incongrue itaque alas applicamus ad promptitudinem et alacritatem genuinorum euangelii ministrorum, siquidem hi omni tempore et quauis occasione sunt parati exequi functiones debitas ad nutum Dei, docendo, arguendo, reprehendendo, solando. *Botsfaccus in moralibus Gedanens. pag. 21. scribit: alis denotatur celeritas, quae est fructus fidei et spei, omnia mala velocissime superantis* pag. 22. *alae denotant celeritatem in actionibus perficiendis angelicam et promptitudinem ad nutum Dei.* Langius in dem Apocalyptischen Licht und Recht; *die sechs Flügel haben abgebildet die muntere Willigkeit nach welcher sich die Knechte Gottes zum Dienst Gottes bereit halten.*

VI.

Dantur dona singularia, nimirum charismata in eminentiore gradu in hoc vel illo ministro genuino obseruanda. Langius in gloria Christi et Christianismi Apocalyp. Prophetica pag. 65. ita scribit: *Ad praeconium euangelii etiam pertinent peculiaris charismata quae repraesentantur sub diuersitate formarum; quae charismata in eminentiore gradu in hoc vel illo ministro inueniuntur.* Haec quatuor charismata etsi apud nonnullos Dei seruos et veritatis testes sint coniuncta, vnum tamen reliquis solet esse extantius. Calouius l. c. pag. 1773: *innuitur quam dona Dei varia sint; in vno praecellere magnanimitatem LEONINAM, in altero BOVINAM laborum*

rum tolerantiam; in tertio HUMANAM moderationem et prudentiam, in quarto AQUILINAM perspicaciam et celeritatem. Considero itaque

I. Figuram *Leoninam*. Leo pollet viribus eximiis et est animal intrepidum, certans pro catulis tanta vehementia, vt etiam saepissime pro illis vitam linquat. Plura vide apud *Franzium in historia animal.* p. m. 62. seq. Deprehendimus itaque in *Leone* emblemata ministrorum euangelii genuinorum, talium qui prae aliis non tantum fortitudinem sed etiam intrepidum animum ostendunt, praesertim in periculis et calamitatibus Psalm. 46. 118. Rom. 8. Liceat adhibere illud Horatii: Lib. III. Carm. od. 3. *iustum et tenacem propositi virum, non ciuium ardor praua iubentium, non vultus instantis tyranni — si fractus illabatur orbis impavidum serient ruinae.* Certant tales ministri pro ecclesia eiusque membris ita vt non solum sint parati linquere vitam, sed etiam data occasione lubentissime et fortissime linquant: posthabitis obstaculis atque periculis stant et dimicant impeterriti.

II. Figura *Vitulina*. *μωσος*, verba sunt *Wolffii in curis Philol. et Critic. in Apocal. Iohannis* p. 486. *hic bouem denotat quod alias vitulum infert. Prior illa significatio non tantum τοις LXX. interpretibus recepta, sed et idoneis graecis scriptoribus.*

Bos est animal laboriosum, industrium, indifferens siue ad labores siue ad mortem tolerandam. Tranquille et patienter fert onera, *Picinellus* Tom. I. lib. 5. num. 56. Haec figura varie potest applicari. Mitto iam ea quae legi possunt apud *Franzium* libro citato, et tantum considero ea quae apud *Picinello* sunt allata, et fitto bouem ceu emblemata ministri euangelii genuini, qui prae aliis quasi natus est ad industriam et labores, quibus ita est aduersus vt nunquam non inueniatur, in exequendis iis quibus prodesse potest ecclesiae. Dies atque noctes laborat, nunquam pertaesus laborum. Praeterea iugum calamitatum fert patientissime, nec deprimi se patitur grauissimis crucis oneribus. Quinimo gaudet in tribulationibus Rom. V. 3. 4.

III. Figura *Faciei Humanae*. Facies humana est speculum cordis in quo perspicimus ea quae latent in corde. Animaduertimus praesertim in facie humana affectus irae s. indignationis et beneplaciti, latentis in intimis animi recessibus. Hoc modo facies humana est emblemata partim indignationis, partim beneplaciti et beneuolentiae. Nonne facies Dei in S. S. interdum iram et indignationem in inimicos, interdum gratiam et beneplacitum in amicos denotat? Optime proinde potest applicari facies humana partim ad singularem indignationem partim ad singulare beneplacitum. Est enim hoc charisma in quibusdam ministris genuinis euangelii ita perspicuum vt vnus alterum antecedit vel in taedio singulari erga malitiam et malitiosos, vel in beneplacito singulari erga probitatem et probos. Depictam quasi legimus in eorum facie *iudoniam* gravitate temperatam et seueritatem amore temperatam. Ferre non possunt impios Apocal. II. 2. Non vtuntur iure summo erga fidei domesticos infirmos, et erga peccatores ex infirmitate lapsos, ita vt infirmos tolerant, aberrationes quantum fieri potest in meliorem partem interpretentur et moderate corrigant. Non conspicitur in ipsis austeritas morum detestabilis. Clausis ligantis fulmine aberrantes

rantes non praecipitanter percutiunt seu non agunt praecipitanter in vſu clauis ligantis. Promti ſunt erigere lapſos poenitentes ſolatio diuino.

iv. *Figura Aquilina.* Aquila eſt auis viſus acutiſſimi altiſſimum habens volatum; radios ſolis intuetur ſine nutatione, et curam gerit pullorum quos ſtudet aſſuefacere intueri ſolis radios, et vitam agie ſolitariam Franzius l. c. pag. 321. ſeq. Langius l. c. pag. 65. *Eſt emblema charismatis quo quis inſtructus aquilae inſtar in ſublime fertur penetrans gradu eminentiore in recondita myſteria.* Docet experientia quosdam euangelii miniſtros genuinos antecedere alios peculiari perſpicacia. Hi tanta fidei acie ſunt ornaſi vt inſpiciant ſapientiae et amoris Dei longitudinem, latitudinem, altitudinem et profunditatem Ephes. III. 18. ſtrepitum humanarum conuerſationum ſollicite, quantum fieri poteſt, vitant, ſemper meditantur coeleſtia: Pullorum eccleſiae ſeu iuuentutis curam gerunt diligentiſſime eoſque a terreſtribus ad coeleſtia ſtudent perducere.

VII.

Gymnaſium noſtrum ſecundum prouidentiam diuinam eſt fundatum MDLXXVII. menſ. Mart. ab illuſtriſſimo *Principe et Comite Henneberg.* GEORGIO ERNEſTO. Secundum Dei prouidentiam eſt conſeruatum ſub *ſereniſſimis atque clementiſſimis Dominis Nutritoribus.* Secundum Dei prouidentiam fuit et eſt ornatum multis genuinis verbi miniſtris. Secundum Dei prouidentiam exiere ex illo multi ciues quorum opera Deus eſt vſus ad multorum ſalutem et proſperitatem in ſtatibus Hierarchicis, Politico, Eccleſiaſtico et Oeconomico. Memores huius prouidentiae gratias agimus Deo debitas cuius nutu eſt fundatum, feliciter conſeruatum et benedictum, perentes ab ipſo fiduciaſiter, vt largiſſima benedictione exhilaret *ſereniſſimos ac clementiſſimos Dominos Nutritores,* et Gymnaſium conſeruēt ita vt illud omni tempore ſplendeat non modo genuinis euangelii miniſtris ſed etiam genuinis ciuibus ex illo prodeuntibus.

VIII.

Tandem indicandae ſunt orationes diebus xiv. xv. xvi. April. in auditorio primario noſtri Gymnaſii habendae. Sermocinabuntur Dominus M. ALBRECHT GEORG. WALCHIVS Reſtor Gymnaſii, Matheſ. et Philoſoph. Profeſſor d. xiv. April. *de diſpari Gymnaſiorum frequentia eiusque cauſſis.* d. xv. April. Dominus THOMAS ANSCHÜZ Conreſtor, *de meritis Georgii Erneſti principis et comitis Henneb. in ſtudioſos diſcendi collatis,* et Dominus ADAM CHRISTIAN REINHARDT Tertius collega: *de quibusdam vitae ſcholaſticae deliciis iſque pro ratione temporum connexis incommodis.* D. xvi. April. ſermocinabuntur quidam ciues Gymnaſii diſcedentes de quibus in proluſione Domini Reſtoris et Profeſſoris. Annuat Deus noſtris votis et adſit ſua gratia et ope. Vos autem Patronos et Fatores litterarum decenter rogo vt praefentia veſtra ornetis hanc ſolennitatem. *Schleuſingae, MDCCLXXVII. d. vii. April.*



Yd
5867

ANIMANTIA APOCALYPTICA

CEV EMBLEMATA

MINISTRORVM EVANGELII GENVINORVM

IN SCHOLIS ET ECCLESIIIS

SISTIT

MEMORIAM SAECVLAREM

GYMNASII HENNEBERGICI

PER DVCENTOS ANNOS FELICITER CONSERVATI

ORATIONIBVS QVIBVS DAM CELEBRANDAM

DIEBVS XIV. XV. XVI. APRIL.

MDCCLXXVII.

HOR. IX. MATVT. IN AVDITORIO PRIMARIO

SVB DIRECTORIO

SEKENISSIMI ATQVE CLEMENTISSIMI DOMINI

DOMINI

FRIDERICI AVGVSTI

ELECTORIS SAXONIAE ETC.

INDICIT

ET VT

PATRONI ET FAVTORES LITERARVM

PRAESENTIA SVA FAVOREM IN GYMNASIVM NOSTRVM TESTENTVR

DECENTER ROGAT

I. IOHANNES GOTTGETREV MÜLLER

ASSESSOR, CONSIST. SVPERINTENDENS ET EPHORVS GTMNASII.

SCHLEVSINGAE

APVD MÜLLER ET BRÜCKNER, GYMN. TYP.

